

P V I S

1 6 1 8



- I. Philastrii Catalogus Hæresium.
- II. D. Honorii de Hæresibus.
- III. D. Bugenzæii distributio Methodica Historia passionis Christi.
- IV. D. Garzæi Tractatus Concionum Penitentiarum.
- V. D. Garzæi Delinatio Concionum Penitentiarum.
- VI. Basilii Magni Oratio ad Adolescentes.
- VII. Intimatio Jubilæi Evangelici.
- VIII. Theologorum Saxoniarum Epistola Invitatoria ad universos Theologos.
- IX. D. Bergii Professoris Francofurtensis Disputatio Theologica.
- X. M. Sachsii Disputatio adversus Meijnerum.
- XI. Montani Virga in Bermanum et Ungermannum.
- XII. D. Pelargi Responsum ad Epistolam Schlusenburgii et Cramerii.
- XIII. D. Pelargi Responsoria ad Apostolica duo brevvia Schlusenburgii et Cramerii.
- XIV. Godefridi Disputatio de Abstracto et Concreto.
- XV. Pelargi Disputatio de Assumptione Christi.
- XVI. M. Wolgangi Theses de Justitia et Justificatione.
- XVII. D. Füsseli Disputatio de Deo.
- XVIII. M. Theopoldi Disputatio ex Dialocho Theodoret. Secundo.
- XIX. de Deo.
- XX. de Peccato.
- XXI. de tria in Conversione Homini Concurrentia.
- XXII. de Justificatione.
- XXIII. de Bonis Operibus.
- XXIV. de Ecclesia.

Maa B.

THEMATA

## THEOLOGIÆ

SYNOPTICÆ,

EX ARTICULO DE DEO,

AD PUBLICAM ΣΤΖΗΤΗΣΙΝ IN

illustri Illustrissimorum Principum

Anhaltinorum Athenæo

Servestano pro-  
posita,*QUÆ SUB PRÆSIDIO*M. MARTINI FÜSSELII, EC-  
clesiæ ad D. Bartholom. Pastoris & Su-  
perintendentis, atq; S. S. Theologiæ in Illu-  
stri Gymnasio Professoris,

publicè

*Defendenda suscepit*

CHRISTOPHORUS SCHMID.

Freist. Siles.

*Ad diem 3. Xbris. Anno M. DC. XIII.**loco & horâ consuetis.*

SERVESTÆ

Excudebat Zacharias Dörfferus.



*Pindar.*

ἔλεγχ' ἐλέγχῃ, λοιδορεῖσθ' ἔπρεπει  
Ἄνδρες Φιλοσόφῃς, ὡσπερ ἄρτοπάλιδας





MAGNIFICIS,

AVITÂ, suâq; generis, doctrinæ, pietatis,  
virtutum omnigenâ gloriâ verè Genero-  
sis & Nobilissimis

VIRIS,

DN. MELCHIORI à RECHENBERG, in Schla-  
va, VVartenberg & Rotenburg, &c. S. Cæs.  
ac Reg. Majest. à consiliis.

DN. CHRISTOPHORO GEORGIO à BERGE,  
in Herndorf, & Claden: hæreditario Frei-  
vvaldæ, Buræ & Clix, &c. Tribunalis Glogo-  
viensis & Saganensis Adfessori Regio, & Se-  
natori provinciali.

DN. SEBASTIANO à SCHVVARTZ, in Schlo-  
en, & Fürstenvv, &c. S. Cæs. ac Reg. Maj. in  
Ducatib. Silesiacis, Glogoviensi & Saganen-  
si Quæstori, Judiciiq; Regii Adfessori.

DN. TOBIÆ SCULTETO, à Bregoschitz & Schvva-  
nensee, &c. S. Cæs. Regiæq; per Ungariam &  
Bohemiam Maj. Consiliario, & Commissa-  
rio, &c. S. Lateranensis Palatii, Aulæq; Cæ-  
sariæ & Imperialis Consistorii Comiti, fisci-  
q; Reg. per Silesiam & Lusatiam infer. patro-  
no, J. U. D.

Fundationis Bergerianæ

*Dnnon. Executoribus & Directori  
Dnnon. Mecænatib. & patronis suis,  
omni observantia cultu hono-  
randis.*

L. M. D. D.

**Q**uorsum versa tibi facies? quem, Musa, patrono  
Invenies: cujus gremio tua dona reponas?  
Fallor? an ad croceum Tithoni prona cubile  
Gestis? & supplex orientia sidera spectas?  
Scilicet Elysios sat agis sine murmure campos  
Prendere, ubi sublime caput sub nubila condit  
Bergerianus Atlas, culmen pralustre Quadorum,  
Palladium firmans caelum, Phœbiq; sagaces  
Conspicuo extollens dorso super aethera Mystas.

Salve celsa domus! lati salvete Penates!  
Vestra mihi dudum libuit penetrata, vestros  
Perlustrare focos. Nunc, nunc datur alta tueri  
Templa; & magnificum plene exorare Senatum:  
Quem penes arbitrium est, Bergeri dona fidei  
Posthuma dispensare manu: gazasq; relictas  
Partiri in gnavos Sophies illustris alumnos!

Has ad opes quoq; me dextram pro more petacem  
Tendere, Vestra, Viri, Pietas, & plurima nuper  
Spes mihi facta, jubet: vestri quam praeses Asyli,  
IOVA, ratam cupiat: dum me ver praepetis avi  
Ad majora vocat. Sic vestrum, hoc munere latus,  
Nunquam non fausto venerabitur omine nomen  
Schmidius. En arastango, & pia numina testor.

V. V. V. V.

M. M. M. M.

Subjectifs. Cliens

Respondens



# THEMATA THEOLOGICÆ SY- NOPTICÆ.

## I.

**S**YNOPSIS Theologicam non sine gravi consilio publicis praedicationibus aggressi sumus: eam deinceps publicis etiam disquisitionum amicarum exercitamentis proponere non prater causam animus est.

## II.

Nam cum ἀσπovδ & ille DEI & Ecclesia hostis, Satanus, multiplici mendaciorum mole & substructione regnum confirmare suum, & stabilire admodum nitatur, in eamq; rem armet suos disceptatrice vel potius deceptrice facultate: piorum doctorum officii est; ut, dum sacras literas profitentur, non solum veram expositionem, quam vulgò ἐνδειξις vocant, suis proponant: sed ad illam etiam usum & exercitationem bene, solide, salubriterq; potius, quam subtiliter differendi, adiungant.

## III.

Sic post gravem illam & funestam cladem Israëlī a Philistaeis illatam, quam Saulis & Ionathans cedes consecuta est, edixit David: ut Iudaica juventus arcu iaculari doceretur.

A 3

IV. Pra-

IV.

Prævidebat enim magnus ille Rex & Propheta:  
fore, ut ( quemadmodum est omnis victoria insolens )  
ferocius hostium animi exultarent, & duriore, quam an-  
teâ, bello populum DEI infestarent.

V.

Florem ergo ætatis exercendum censuit: qui, pro ut  
res ferret, præstò adesset ad patriam, religionemq; tu-  
tandam.

VI.

Exemplum certè piis omnibus, qui Veritatem DEI  
sartam teclam, contra Satanae molitiones, esse cupiunt,  
hoc imprimis tempore imitandum: quo armis impiis ar-  
ma pia sunt opponenda: ut in propugnandâ pietate non  
minus strenui & alacres simus: quam illi in eadem op-  
pugnandâ pertinaces esse solent.

VII.

Est autem THEOLOGIA doctrina de DEO:  
quod vocis innuit Etymon ἀπὸ τοῦ θεῶ, καὶ λόγῳ. Unde  
evincitur esse λόγιον ἀπὸ τοῦ θεῶ: sive λογίων τοῦ θεῶ ἰπὶ γινώ-  
σιν.

VIII.

Estq; alia ἈρχέτυπⓄ, alia ἘκτυπⓄ.

IX.

ἈρχέτυπⓄ est: qua in DEO, ipsius DEI, imò ipse  
DEUS est: qua & seipsum novit in seipso, & extra se u-  
niversa & singula per seipsum actu individuo & im-  
mutabili.

X.

ἘκτυπⓄ est, qua ex illa priori per revelationem  
& gratiosam communicationem expressa & informa-  
ta est, sive secundum naturam universalem in o-  
mnibus



*in omnibus hominibus: sive secundum gratiam specialem & modum scripturae in Ecclesia.*

XI.

*Vnde, si rem ipsam spectes, THEOLOGIA definitur, Vera divinarum rerum sapientia, communicata divinitus, vel modo naturali secundum principia ingenita. Rom. 1. v. 19. & 2. v. 14: quae Naturalis Theologia, vel modo excellentiori secundum gratiam supernaturalem Ioh. 1. v. 18. 1. Cor. 2. v. 6. 10. quae supernaturalis dici potest.*

XII.

*Atque de hac Theologia hic nobis in Synopsi Theologica sermo est.*

XIII.

*Partes ejus § 1. Generalis } quae tractat § Principiis.  
duae sunt } 2. Specialis } de } Principiatis.*

XIV.

*Principia 2. Sunt DEUS & Verbum.*

XV.

*De DEO, primo Theologiae principio hac vice paucis.*

XVI.

*DEUS est nomen, non generis, non speciei, &c. Sed dignitatis & naturae simplicissimae, aeternae, infinitae, omnipotentis, &c.*

XVII.

*Natura & per se clarum est: Esse DEUM: verum nobis, hoc est, humanae rationi, ut nunc est, vitiatum, non ita est clarum: sed spissae sunt tenebrae. 1. Cor. 2. v. 14. Vnde Vir quidam θεόπνευτος & eruditus non minus, quam pie dixit: In primae aetate, homini πρῶτον λάσπη ante lapsum*

*lapsus clara erat DEI cognitio. In secundâ, hoc est, proximè post lapsus, fuit obscura. In tertiâ, per Christi patefactionem clarior est. In quartâ autem, qua Electos DEI in alterâ vitâ manet, erit clarissima.*

XVIII.

*Deus itaq; pro captu nostro demonstratione τὸ διότι, sive à priori, demonstrari nequit: ut, qui ne defini qui- dem potest: cum sit superior omni genere & differentia: neque quicquam supra se habeat: sitq; causarum omnium causa: cui sunt omnia subiecta: ipse nulli: solus ipse sibi est notus: & improprie à nobis cognosci dicitur: qui non secundum id, quod ipse est, sed secundum id, quod sumus, aliquid de DEO apprehendimus. Verum enim est illud: Cognitionis modum non à re cognita, sed à cognoscente pendere. Et rectè Nazianzenus (in præceptis ad Virg.) Sicut pisces in aquâ non vident Solem aut sidera, sed tantum illorum umbram: ita homines vident tantum velut umbram DEI.*

XIX.

*Demonstrari tamen potest DEUS, demonstratione, qua òmni sive à posteriori nuncupatur: quâ demonstratione utitur Apostolus, Rom, 1. v. 19. & Act. 17. v. 24. quibus in locis docet, Deum esse ἐν τῆς τὸ νόσμις κτιστοῦς. Et Philosophi, causarum efficientium seriem persequentes, bene docent: in aliquâ causâ supremâ acquiescendum esse, qua ceteras moveat, ipsa immota manens. Quidam dixerunt: DEUM esse centrum, à quo omnia, & ad quem omnia, &c.*

XX.

*In DEO cognoscenda duo sunt:*

1. *Quid sit, id est, Essentia, sive Natura.*

2. *Quis*

2. Quis sit, id est, attributa illius.

XXI.

Essentia consideratur in Vnitate sui & Trinitate Personarum.

XXII.

Est enim DEUS (ut quam brevissime definiunt Ebraei) Jehovah Elohim Exod. 6. v. 2. & 3. v. 13. Id est, Essentia una trium personarum, Patris, Filii, & Spiritus Sancti, summe perfecta.

Jehovah enim nomen est Essentia: Elohim nomen est personarum.

XXIII.

Essentiae nomen licet in Scriptura precise non reperiatur: Inde tamen colligi potest, partim ex testimoniis ejus, partim ex significatione nominis.

XXIV.

Testimonia Scripturae sunt Exod. 3. v. 14. Vbi Deus Mosi quarenti respondet Ehejeh Escher Ehejeh Ero, qui ero. Vel: Sum, qui sum. Futurum enim apud Ebraeos quandoque pro presenti ponitur. Unde LXX. interpretes verterunt: ἐγώ εἰμι ὁ ὢν: Ego sum Ens. Et paulo post d. c. Sic dices Filiis Israël Ehejeh: Ero, vel sum. Vel, ut Graci felicius reddiderunt, ὁ ὢν ἀπέσαλκέ με πρὸς ὑμᾶς.

Similis locus habetur, Apoc. 1. v. 8. ἐγώ εἰμι τὸ Α καὶ τὸ Ω, ἀρχὴ καὶ τέλος, λέγει ὁ κύριος, ὁ ὢν καὶ ὁ ὢν καὶ ὁ ἐρχόμενος ὁ παντοκράτωρ.

XXV.

Nomen Ebraë est & Jehovah & Jah, quod habetur Psal. 103. v. 3. 4. estque contractum ex Jehovah. Inde Essentia colligitur: quia hoc nomen derivatur à radice Hajah vel Havah, id est, fuit, ut Jehovah vel Jah sit ὁ ὢν seu Ens, nempe qui solus semper & per se existit, id

B

est,

est, αὐτοφύως, quemadmodum rectè ab Oraculo Apollinis nominatus est, teste Lactantio lib. 1. de falsa rel. c. 7.

XXVI.

Proinde hoc nomen Jehovah Essentiale & proprium Dei est.

Essentiale: quia reliqua nomina vel à proprietatibus vel ab operibus desumpta sunt: hoc verò ab Essentia ipsius.

Proprium, quia cum nulla creatura commune est.

Vnde Deus ipse passim apud Prophetas hoc suum nomen testatur, hoc est, ita sibi proprium, ut non conveniat alteri: imò hoc nomine ab omnibus Diis fictitiis & rebus creatis sese discernit: per textus expressos Esa. 42. v. 8. Ego Jehovah: hoc est nomen meum, & gloriam meam Alteri non dabo, nec laudem meam sculptilibus. Os. 12. v. 5. Jehovah est Deus exercituum, Jehovah memoriale ejus. Amos. 5. v. 8. Qui fecit Arcturum & Orionem & convertit in mane umbram noctis, & diem in noctem tenebrescere facit, qui advocat aquas maris, effunditq; eas super faciem terra, Jehovah nomen ejus. Exo. 3. v. 15. Hoc est nomen meum in seculum, & hoc est memoriale meum in generationem & generationem, &c.

XXVII.

Nec tanti est momenti Photinianorum elasto, qua inferunt; etiam res creatas in scripturâ appellari nomine Jehovah: utpote, Altare à Mose erectum Exod. 17. v. 15 sicut & alterum à Gedeone Iud. 6. v. 24. Sic etiam Jerusalem vocatur hoc nomine Ier. 33. v. 16.

Non enim primò & per se sic appellantur, sed μετὰ τὸν ἔργον: quia erant signa presentia divina.

An

XXVIII.

An Patriarchis notum fuerit nomen istud, dubium nascitur ex loco Exod. 6. vers. 3. In nomine meo Jehovah non sum cognitus ipsis.

Verum simpliciter intelligi locum non posse testatur exemplum Abrahami Gen. 15. v. 2. Dixit Abram, Domine Jehovah, quid dabis mihi, cum ego incedam absq; liberis? & v. 6. Crediditq; Jehovah, & imputatum est illud ei ad justitiam: Et dixit ad eum: Ego Jehovah eduxi Te de Vr Chaldim.

Nec non exemplum Isaaci, de quo legimus Gen. 26, v. 24. Visus est ei Jehovah nocte ipsa, & dixit: Ego sum DEVS Abraham Patris tui, propterea ne timeas: &c. Extruxit itaq; illic altare, & invocavit nomē Jehovah.

Deniq; de Jacobo scalam somniantē dicitur: Ecce Jehovah stabat super illam, dixitq;: Ego Jehovah DEVS Abraham Patris tui, & DEVS Isaac, terram, in qua tu dormis, dabo tibi, & semini tuo. Gen. 28. v. 13. Itaq; secundum sensum accipienda verba fuerint q. d. Non prebui me eis cognoscendum, scilicet, promissionum complemento: non, quod Jehovah nomen ignoraverint: aut ipse hoc nomine suas promissiones non obsignaverit: sed quia nondum faciebat, ut promissa existerent, quod nomine Jehovah designatur. Significat enim existentem per se, ex quo, in quo, & per quem, & propter quem sunt, quascunq; sunt. Rom. 11. v. 36.

XXIX.

Porro hæc ἁεία vel Essentia à Latinis etiam Substantia appellatur: quemadmodum docet Sozomenus l. 4. c. 6. Ab aliis etiam Natura, θεός, dicitur: sicut videre est Coloss. 2. v. 9. ἐν αὐτῷ κατοικεῖ πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος. Sic & nomen θεός, ἁειδώς,

ad significandam essentiam & naturam divinam, saepe  
usurpatur, cum simpliciter ponitur: ut DEUS, Essentia,  
Natura, & ceteris reciprocantur.

XXX.

Unam esse, non genere, & specie, sed numero  
Essentiam divinam, liquet, tum ex Scriptura testimo-  
niis, tum ex rationibus.

XXXI.

Testimonia Scripturae duplicia inveniuntur:  
quaedam, DEUM seu divinam Essentiam unam esse asse-  
verantia: quaedam, extra hunc unum DEUM plures esse  
aut reperiri posse negantia.

Illa sunt Deut. 6. v. 4. Audi Israël, Jehovah DEUS  
noster, Jehovah unus est: quod primum omnium man-  
datorum esse testatur Christus Marc. 12. v. 29.

Hinc Paulus, Gentium Apostolus, principium hoc  
fidei nostrae diligenter inculcat suis, Rom. 3. v. 30. Eph. 4.  
v. 6. 1. Tim. 2. 5.

Hæc verò leguntur Deut. 32. vers. 31. Non  
est, sicut DEUS noster. Et paulò post. v. 39. Videte  
nunc, quòd ego, ego sum, & non sunt Dii mecum.  
Ego mori faciam & vivere faciam. Psal. 86. v. 10. Ma-  
gnus es tu, & facies mirabilia, Tu es DEUS solus.  
Es. 37. v. 16. Jehovah exercituum, DEUS Israël, sedens  
super Cherubim: Tu es DEUS solus omnium regnoru  
terra, tu fecisti cælum & terram. V. 20. Et nunc Jehova  
DEUS noster salvos fac nos de manu eius (Regis Assur)  
ut cognoscant omnia regna terra, quòd tu es Jeho-  
vah solus. Et. c. 44. v. 6. Sic dixit Jehova, Rex Israë-  
lis & Redemptor ejus, Jehovah exercituum: Ego pri-  
mus, & ego novissimus, & præter me non est DEUS. Et  
c. 45. v. 5. 6. Ego Jehovah, & nō est amplius: Præter me  
non

non est DEUS: Accinxi te, & non novisti me: Ut sciant  
ab ortu Solis & Occidente: quod non est præter me:  
Ego Jehovah: & non est ultra.

Hinc Paulus 1. Cor. 8. v. 4. Scimus, quod nullus  
est DEUS alius, nisi unus, &c.

XXXII.

Rationibus unitas DEI evincitur compluri-  
bus à variis magni nominis Theologis: quarum in præ-  
sentiarum unam & alteram allegasse sufficiat.

1. Tot sunt Dii, quot patefacti certis testimoniis.  
At unus tantum DEUS patefactus est certis testimo-  
niis, utpote miraculis, vaticiniis, & aliis omnipotentis  
Naturæ indicis. E.

Assumptio probatur ex Esa. 44. v. 7. & 45. v. 6. & 46. v.  
10. 11. Psal. 86. v. 8.

Exc. Atqui alia etiam numina edidèrè miracula.  
Resp. 1. Illa non erant propria naturæ omnipoten-  
tis.

2. Confirmabant aliquam impietatem & Ido-  
latriam.

Exemplo sunt miracula coram Pharaone à Magis edi-  
ta. Ex. 7. v. 11. 22. & 8. v. 7. 18. ubi expressa legantur verba:  
Fecerunt quæ sic Magi incantationibus suis. Ranas advo-  
care possunt: depellere nequeunt. Exod. 8. v. 9. 11. Pedi-  
culos ex percusso terra pulvere educere nequeunt d. l.  
v. 18. Unde fatentur ultrò ad Pharaonem: Digitus DEI  
est. Sic omne genus insectorum neque adducere neque ab-  
ducere possunt. Ideò Pharaon ad Moysen & Aaronem di-  
xit: Ite, Sacrificate DEO vestro in terrâ. v. 19.

Non sunt ergo ista Naturæ omnipotentis opera: sed In-  
cantationes, præstigiæ, glaucomata Diabolica.

II. Majestatis summa est solum dominari.

*Divina natura est majestas summa.*

*E. ejus est solum dominari.*

*Propositio manifesta est: quia, qui non solus Dominus est, illi potest addi majestas.*

*Et per consequens: Non est majestas summa.*

*Assumptio probatur ex Exod. 34. v. 14. Es. 42. v. 8.  
1. Tim. 1. v. 17.*

*III. Perfectissimum est unum.*

*Atqui Deus est perfectissimus.*

*E. Unus.*

*Propositio probatur: Quia quod est distributum, sive divisum, est imperfectum.*

*Exc. At potest esse, unus summus: reliqui minores.*

*E. non est precise opus unitate.*

*Resp. Negatur Antecedens:*

*1. Quia sive pares essent, sive impares, in nullo esset tota divinitas: quia distributa.*

*2. Minores Dii non possunt esse: quia non essent perfectissimi, quod DEI est proprium.*

*IV. Summum bonum tantum est unum.*

*Deus est summum bonum.*

*E. Unus.*

*Propositio probatur. Si non est unum tantum summum bonum: alterum, quod adjicietur, aut erit majus, aut minus, aut æquale.*

*si 1. Majus: esset contumeliosum DEO.*

*2. Minus: Non esset DEVS.*

*3. Æquale: Neutrum esset DEVS.*

*Quod enim inter se distributum est, non est perfectum.*

*Quod non est perfectum, non est Deus.*

*Instant. Atqui multi dicuntur esse Dii.*

*Resp.*



*Psal. 82. v. 6. 1. Cor. 8. v. 5. Exod. 4. v. 16. c. 7. v. 1.*  
*Resp. A Dici ad Inesse non V. C.*  
*Multi dicuntur Dii, sed mutato genere pradicatio-*  
*nis.*

*DEUS primò & per se significat eum, qui natura*  
*Deus est, de quo hic agimus: & hic unus est. Aliquando*  
*notat non divinam essentiam, sed Deum nuncupati-*  
*vum, propter similitudinem proprietatum divinarum,*  
*& propter officium.*

*Tales Dii sunt Magistratus, Angeli, &c. Idola*  
*etiam dicuntur Dii Exod. 20. v. 23. Venter quibusdam*  
*dicitur esse DEUS Phil. 3. v. 19. opinione & cultu homi-*  
*num. Diabolus & Deus & Dominus Mundi dicitur*  
*2. Corinth. 4. v. 4. Ephes. 6. v. 12. propter maximam po-*  
*tentiam.*

*XXXIII.*

*Vt verò una est, sic summè perfecta essentia:*  
*ita, ut nec accedere, nec decedere ei quicquam possit: ut*  
*nec egeat ullius extra se, nec aliunde quicquam acci-*  
*piat: sed sola sibi ad omnia sufficiat, ex se ipsa, & in se*  
*ipsa omnia habens.*

*XXXIV.*

*Nam id demum perfectum est, quod universa in se*  
*complectitur & habet. Vnde & Schaddai & אֱלֹהִים*  
*& beatus Deus appellatur Gen. 17. vers. 1. & 25. v. 3.*  
*& 35. v. 11. & 48. v. 3. Job. 42. v. 2. Matth. 19. v. 26.*  
*Luc. 1. v. 35. 1. Tim. 6. v. 15. quia in se ipso habens o-*  
*mnia, nullius extra se indiget, sicut dicitur Act. 17. v.*  
*25. & Psal. 16. v. 2. Sed ipse est summum bonum, & fons*  
*& author, & causa bonorum omnium in natura. Iacob.*  
*1. v. 17. Rom. 11. v. 35.*

*XXXV.*

*Nec obstat, quod Prov. 16. v. 4. dicitur DEUS O-*  
*mnia*

omnia fecisse propter seipsum. *Fecit enim non propter se iuvandum aut augendum, aut ullà re perficiendum, sed propter se communicandum potius & patefaciendum creaturis, hoc est, non quod eget re ullà; sed ut se & beatitudinem suam cum aliis communicaret. Nam hæc est natura boni: ut non tantùm se conservet, sed etiam cum aliis communicet.*

XXXVI.

*Sic creaturis tanquam instrumentis DEUS utitur, non coactus necessitate vel impotentiâ, sed pro liberrima voluntate sua, ut ostendat, se & iure & potestate omnium esse Dominum: & pro arbitrio omnibus uti, omniâq; imperio ipsius subjecta esse.*

*Vnde Jehovah exercituum passim appellatur.*

XXXVII.

*Coli etiam à nobis & sanctificari dicitur, non in seipso, sed in nobis. Quemadmodum enim inobedientia erga DEVM & contumelia, non Deum, sed creaturam miseriorem facit: sic obedientia, cultus divinus, atq; conformitas cum mente & lege divina, non Dei, sed ipsius creatura rationalis bonum & beatitudo est. Itaq; Job. 35. vers. 2. & seqq. docetur: non DEO sed homini vel nocere impietatem, vel prodesse pietatem. Et Psal. 16. v. 2. Bonum meum, inquit David, non ad Te, sed ad sanctos. Deus enim his rebus non indiget Psal. 50. v. 12. Act. 17. v. 25. Et nisi præstentur, non DEUS, sed homines à sua perfectione & beatitudine excidunt.*

XXXVIII.

*Sic gloria Dei nec augeri nec minui potest,  
si in*

in se & absolute consideretur: quo respectu significat ipsas proprietates & virtutes in Deo. Aliquando autem relate significat harum proprietatum & virtutum divinarum agnitionem, & celebrationem: qua non in Deo est, sed in creaturis rationalibus: & secundum hanc significationem, gloria Dei augeri vel minui, maior vel minor fieri, hoc est, magis vel minus agnosci & celebrari potest. Audita tamen vel imminuta, non Dei sed creaturae felicitatem & perfectionem auget vel minuit. Deus enim sive honore sive contumelia afficiatur, idem semper manet in se, semperque habet, in quo gloriam suam, hoc est, sapientiam, potentiam, misericordiam & iustitiam declarat.

XXIX.

Hac essentia, qua numero ac individuo una est summeque perfecta, propriissime tribus personis communis dicitur: non ut universale singularibus, non ut accidens subiectis, non ut causa effectis, non ut totum partibus, non denique ut res rebus, sed ut res suis modis, qui sunt in re. Sunt enim Personae τρόποι υπάρξεως, seu modi essentiae divinae: à qua distinguuntur non sola ratione, non distinctione reali, sed rei gradu ac modo.

XL.

Vt verò summa est ac individua Essentiae divinae unitas in personarum pluralitate (Esse enim Patris, est Esse Filii ac Spiritus Sancti) ita realis est ac discretiva in Essentia unitate personarum inter se distinctio. (Esse enim Patrem, non est esse Filium, aut Spiritum Sanctum.)

XLI.

Hinc Persona recte definitur: quod sit subsistens. Individuum, Vivens, intelligens, incommunicabile, non sustentens.

C

ten-

*tentatum ab alio, nec pars alterius.*

*XLII.*

*Personæ ejusmodi tres sunt, in una (ut diximus) numero Essentia divinâ inter se verè & realiter distinctæ, verèq; subsistentes & ὁμοούσιαι; quæ ordine non gradu aut dignitate discernuntur: & quæ in Veteri Testamento indefinitè Elohim appellantur, in novo Testamento à Christo & Apostolis definiuntur, & suis nominibus appellantur.*

*XLIII.*

*PATER est prima persona, ἀνάχων καὶ ἀνακτιῶν existens, & Filium ab æterno gignens.*

*XLIV.*

*FILIUS est secunda persona divinitatis, à Patre ὁμοούσιος καὶ συναιδῖος natus, id est, participando totam Patris essentiam ab æterno genita, vel nascendo à Patre existens. Psal. 2. v. 7. Ebr. 1. v. 5. Ioh. 1. v. 14. & 3. v. 16. Col. 1. vers. 15.*

*XLV.*

*SPIRITUS SANCTUS est tertia persona à Patre & Filio ὁμοούσιος καὶ συναιδῖος procedens, seu emanans, non nascens: Vel, procedendo à Patre Filioq; existens. Ioh. 15. v. 26. & 16. v. 7. 14. & 20. v. 22. Unde Spiritus Jehovæ dicitur. Es 61. v. 1. & 63. v. 9. Spiritus Dei 1. Cor. 2. v. 11. Spiritus Patris Matth. 10. v. 20. Spiritus Filij Gal. 4. v. 6. Spiritus Christi Rom. 8. v. 9. Jesu Christi Phil. 1. v. 19.*

*XLVI.*

*Ὁμοούσιαν Personarum probant*

*I. Expressa Scripturæ Testimonia, quæ æqualitatem Essentia divinæ asserunt; quam cum Patre habent eandem, & singularissime unam Filius & Spiritus Sanctus.*

*De*

De Filio vide. Ioh. 5. v. 18. 19. 21. 26. Maxime vero ex illa Essentia identitate seu singularissime & summe una unitate Christus dicitur esse in Patre & Pater in Christo Ioh. 14. v. 10. Quae res à Patribus  $\omega\epsilon\epsilon\chi\theta\epsilon\gamma\omega\varsigma$  seu Immeatio Personarum dicta est. Accedit Paulina assertio Phil. 2. v. 6. & parallela loca plurima Veteris & Novi Testamenti; qualia sunt Psal. 45. v. 7. quem locum Apostolus Ebr. 1. vers. 8. de Christo interpretatur.

Num. 14. v. 36. 37. & 21. v. 6. qua de Christo allegantur 1. Cor. 10. v. 9. 10. & c.

De Spiritu Sancto vide Ioh. 15. v. 26. Idem testantur supra allegata testimonia: quibus Spiritus Jehovæ, DEI, Patris, Filii, Christi, &c. appellatur: quae ut personas inter se distinguunt: ita etiam identitatem, & unitatem Essentiae testantur.

## II. Nomina divina, quae tribuuntur

Filio; qui dicitur Jehovah Es. 25. vers. 9. 43. v. 3. & 63. vers. 9. Ier. 23. vers. 6. 7. 8. & 33. vers. 16. Et qui Angelus Jehovæ nominatur Gen. 32. vers. 27. cum Jehovaham disserte nominat Os. 11. vers. 5. Qui Mosi apparet è rubo, promiscue & Angelus Jehovæ & ipse Jehovah dicitur. Exod. 3. v. 2. 4. Sic Iud. 6. vers. 12. qui Angelus Jehovæ nominatur, idem v. 14. 16. ipse Jehovah dicitur. Et sunt plura loca parallela, in quibus de Jehovah dicta in Veteri testamento, referuntur in Novo ad Filium &c.

Dicitur etiam DEUS Psal. 45. vers. 7. Ebr. 1. v. 8. Esa. 9. vers. 6. & 25. vers. 9. Ioh. 1. v. 2. & 20. v. 28. Act. 20. v. 28. Rom. 9. v. 5. 1. Tim. 3. v. 16. 2. Pet. 1. vers. 1. Et

VERUS DEUS 1. Ioh. 5. v. 20. & MAGNUS DEUS Tit. 2.  
v. 13.

Eadem nomina tribuuntur

Spiritui Sancto, qui dicitur Jehovah. Cum enim  
solus Iehovah, verus Deus, eduxerit populum ex Aegypto  
Exod. 20. v. 2: Spiritus sanctus ductor populi ex Ae-  
gypto dicitur Esa. 63. v. 14. cui restitit populus Act. 7.  
vers. 51.

E. Iehovah.

Sic Jehovah dicitur is, qui Esaia 6. v. 9. ait: Vade  
& dicas populo huic: Audite audiendo, & ne intelli-  
gatis: & videte videndo, & ne cognoscatis, &c.

Atqui is est Spiritus Sanctus. Act. 28. v. 25. 26.

E. Jehovah est & dicitur.

Dicitur etiam DEUS Act. 4. v. 24. 25. ubi expresse  
DEUS dicitur, qui Act. 1. v. 16. Spiritus Sanctus. Et  
2. Sam. 23. v. 2. Spiritus Domini appellatur: ibidem  
v. 3. vocatur DEUS Israëlis, Fortis Israëlis, Domina-  
tor, &c. Vide etiam Acto. 5. v. 3. 4. 1. Cor. 3. v. 16. &  
6. v. 19. 20. & 12. v. 6. 11. 28.

III. Propria DEI Essentialia: quae sunt  
Vel Idiomatica, utpote

1. Aeternitas quae tribuitur

Filio Prov. 8. v. 14. Esa. 9. v. 6. Mich. 5. v. 2. Ioh. 1. v.  
1. & 8. v. 58. & 17. v. 5. 1. Ioh. 1. v. 3. Col. 1. v. 17. Apoc. 1.  
v. 13. & 22. vers. 17.

Spiritui Sancto Ebr. 9. v. 14. Item, quia dicitur fu-  
isse ante omnes creaturas, quando nihil nisi aeternitas  
fuit, Gen. 1. v. 2. Es. 40. v. 13.

2. Omnipraesentia, quae tribuitur

Filio Matth. 18. v. 20. & 28. v. 30. Ioh. 1. v. 18. & 3.  
v. 13. & 14. v. 23. Marc. 16. v. ult. Ephes. 4. v. 10.

Spiri

Spiritui Sancto Ps. 59. v. 7. & seqq. Rom. 8. v. 9.  
7. Cor. 3. v. 16. & 6. v. 19. 2. Tim. 1. v. 14. quibus locis  
in omnium fidelium cordibus habitare, ac proinde ubi-  
que esse dicitur.

3. Omni scientia, qua tribuitur

Filio Matth. 9. v. 4. Ioh. 2. v. 25. & 10. v. 15. & 16. v.  
30. & 21. v. 17. Apoc. 2. v. 23. Matth. 12. v. 25.

Spiritui Sancto Ioh. 14. v. 26. 1. Cor. 2. v. 10. 11. 1. Pet.  
1. v. 11. Act. 1. v. 16. & 6. v. 20. 2. Tim. 4. v. 1.

4. Omnipotentia, qua tribuitur

Filio Ioh. 3. v. 25. & 5. v. 19. Eph. 4. v. 8. Phil. 3. v. 21.  
Apoc. 1. v. 8. & 4. v. 9. Ioh. 16. v. 15.

Spiritui Sancto 1. Cor. 12. v. 6. 11. Ps. 95. v. 3. 4. quem  
locum Apostolus Eb. 3. v. 7. de Spiritu S. interpreta-  
tur.

Vel sunt opera divina.

1. Creationis & conservationis rerum omni-  
um: qua adscribuntur

Filio Prov. 8. v. 17. Psal. 102. v. 26. Ebr. 1. v. 2. 10. Ioh. 1.  
v. 3. & 5. v. 17. 19. Ephes. 3. v. 9. Col. 1. v. 16. 17.

Spiritui Sancto Gen. 1. v. 1. & Iob. 26. v. 13. & 33. v. 4.  
Psal. 33. v. 6. Es. 40. v. 12. 13. Luc. 1. v. 25.

2. Redemptionis, qua adscribuntur

Filio Matth. 20. v. 27. Mar. 10. v. 45. Act. 28. v. 28.  
Rom. 3. v. 24. & 4. v. 25. & 5. v. 6. 9. & 8. v. 1. 1. Cor. 1. v. 30.  
Eph. 1. v. 7. Ebr. 9. v. 12. 1. Pet. 1. v. 18. 2. Pet. 2. v. 1.

Spiritui Sancto 1. Cor. 6. v. 11. Tit. 3. v. 5.

3. Vivificationis, qua adsignantur

Filio Ioh. 5. v. 21.

Spiritui Sancto Psal. 104. v. 30. qui vitam in rebus  
quibuslibet creat.

4. Miraculorum, qua sunt testimonia Deitatis &  
tribuuntur

C 3

Filio

Filio Ioh. 2. v. 11. & 5. v. 36. & 10. v. 25. & 11. v. 45. & 14.  
v. 10. 11. & 15. v. 24.

Spiritui Sancto Matth. 12. v. 28.

IV. Cultus, qui est

1. Fides: & debetur.

Filio Ioh. 2. v. 11. & 9. v. 37. & 11. v. 45. & 12. v. 11. & 14.  
v. 1. Vide etiam Psal. 2. v. ult. Matth. 12. v. 21. I. Ioh. 5. v. 1.

Spiritui Sancto: quia in eum baptizamur Matth.  
28. v. 19. Et in Symbolo Apostolico nos in eum credere pro-  
fitemur.

2. Adoratio vel Invocatio: qua debetur

Filio Matth. 8. vers. 2. Ioh. 5. vers. 23. & 9. v. 37. Phil. 3.  
vers. 10.

Spiritui Sancto 2. Cor. 12. v. 13.

Hinc evincitur: Tres istas Personas esse unū Deū.

Nam quamvis Personaliter, alius sit Pater, alius  
Filius & alius Spiritus Sanctus: tamen essentialiter  
non est aliud Pater, aliud Filius, aliud Spiritus Sanctus  
sed hi tres unum sunt I. Ioh. 5. v. 7.

XLVII.

Hactenus Essentia est considerata tum in sui uni-  
tate & summā perfectione, tum in Personarum  
Trinitate ac ὁμοσίᾳ.

XLVIII.

Attributa sequuntur, sive Proprietates, qua sunt  
vel Essentiae vel Personarum.

XLIX.

Personarum proprietates dicimus Characteri-  
stica Idiomata, seu attributa determinativa: qua à  
Personis proficiscēdo, & in Personis terminantur, & Per-  
sonas determinant, tum in se, tum inter se.

L.

Est enim earum ad Personas duplex veluti respec-  
tus: Personalis ac notionalis.

L1. Per-



L I.

Personalis respectus est in illis proprietatibus, quae connotant quidem Relationem, praecipue tamen notant ac designant ipsa subjecta seu hypostases: ut sunt Nomina Personarum: Pater, Filius, Spiritus Sanctus.

L II.

Notionalis respectus est in illis proprietatibus, quae Notiones seu Relationes appellantur: quarum usus in sola relatione est: ut sunt Generationis, Nativitatis, Processionis nomina.

L III.

Essentiae proprietates dicimus attributa in Deo, Deo essentialia: quibus & Essentiae veritas in se innoscit, & ab aliis distinguitur, sic tamen, ut nec ab Essentia nec inter se realiter differant. Nō ab Essentia: quia sic sunt in unā Essentia, ut sint ipsa Essentia. Nec inter se: quia, quod in Deo est, unum est. A prima autem unitate omnis prorsus differentia, omnisq; numerus abesse debet.

L IV.

Hinc omnes proprietates de Deo essentialiter predicantur: idq; tū formaliter & in abstracto propter perfectionē Essentiae summā & individuatam: tū subjectivē & in cōcreto propter veritatem Dei existentis.

L V.

Possunt verō Essentialia illa Dei attributa ita distinguui: ut alia dicantur Absoluta, alia Relata.

L VI.

Absoluta dicuntur: quorum nihil ἀνάλογον aut simile in aliis rebus inest & spectatur (unde & ἀκοινωνητον hoc genus attributorum à nonnullis dicitur) vel quae considerantur in Deo sine respectu & relatione ad Creaturas: sunt q;

Simplicitas absoluta: &  
Infinitas absoluta.

L VII. Sim-

LVII.

Simplicitas est, quae compositioni & mixtioni opponitur. Diciturq; solus Deus absolute & simpliciter simplex, & omnis compositionis expers. Cumq; alia omnia composita sint vel ex materia & forma, vel ex genere & differentiâ, vel ex Subiecto & Accidentibus, vel ex toto & partibus, nihil horum de Deo dici potest, in quem nec accidens cadit, nec compositio ulla: ut qui sine compositione materia & forma, substantia est; sine qualitate, bonus, verus, justus: Sine quantitate aut termino, Maximus & immensus: Sine motu, Actus: Sine passione, Misericors: Sine situ, praesentissimus: Extra tempus, Primus & novissimus: Sine habitu aut accessione, rerum omnium Dominus.

LVIII.

Ex Simplicitate illâ perfectissimâ colligitur, eandem Essentiam esse spirituales & invisibilem.

Spirituales: quia quod simplicissimum est & expers accidentium ac compositionis, id omne est spirituale & incorporeum, quia omne corporeum compositum est.

Invisibilem: quia quod spirituale est, idem invisibile esse necesse est. Luc. 24. v. 29. Hinc Deus dicitur Spiritus Ioh. 4. v. 24. & invisibilis 1. Tim. 1. v. 17. & 6. v. 16. Exod. 33, 20. Ioh. 1. v. 18. Ex quo sequitur: DEUM nec humanâ specie representandum, nec gestibus, aut rebus corporeis, sed animo spirituq; colendum Deut. 4. v. 10. Es. 40. v. 18. Ioh. 4. v. 24. Act. 17. v. 24. 25.

LIX.

Infinitas vel est Essentiae, vel Virtutis.

LX.

Infinitas Essentiae est, per quam Deus omnes Essentia

tia

*ria terminos excedit: & infert infinitudinem terminorum quantitatis, id est, excludit omnem trinam dimensionem.*

*Angeli & animæ Spiritus quidem sunt: sed tamen essentiam habent finitam & determinatam. DEUS vero Spiritus est, simpliciter infinitus: qui nec trina dimensionis, nec Essentia terminis ullis concluditur.*

LXI.

*Infinitas Virtutis est, quâ Deus excludit omnem determinationem Virtutis, sive potentie suæ: ita, ut omnia possit, &, quæcumq; vult, faciat.*

LXII.

*Porro Infinitas vel est temporis, vel loci.*

LXIII.

*Infinitas temporis est Æternitas: qua Deus ortus & interitus expers est, sive, principio & sine caret: sive, quâ semper idem est, extra omnes mutationum vires. Vnde patet in æternitate nihil prius aut posterius esse. Esa. 43. v. 10. Act. 15. v. 18.*

LXIV.

*Ex æternitate absoluta est Immutabilitas, solius Dei propria. Qualibet enim res creata mutabilis est, vel ab externo, vel ab interno principio. Externum principium summum est, à cuius virtute & conservatione pendent res singule: qua subtracta conciderent & in nihilum abirent. Act. 17. v. 28. Internum mutationis principium est, vel in subjecti materia & forma, vel in loci, aut voluntatis electionisq; mutatione. Nihil horum de Deo dici potest: quia quicquid simpliciter perfectum, ab omni quoq; mutatione est alienissimum.*

D

LXV. In-

## LXV.

Infinitas loci est: qua Deus nec suo, nec etiam ullius ambientis termino concluditur, & dicitur Immenfitas: qua Deus nullis locorum spaciis circumscriptus, neq; definitus, omnia penetrat, omnia replet, quaecūq; vel in mundo vel extra mundum excogitari possunt.

## LXVI.

Modus huius immensitatis concipiendus est absq; ullā multiplicatione, extensione, aut partium, qua in Deo nulla sunt, divisione, aut cum aliis rebus commixtione & confusione: quia simplicissima Dei Essentia tota est in qualibet universi huius parte, tota in hoc toto, sive universo, tota extra hoc totum, nusquam inclusa, nusquam exclusa, omnia continens, à nullo contenta.

## LXVII.

Relata attributa sunt quorum aliquid ἀνάλογον & simile in aliis rebus inest, & spectatur (unde hoc genus κοινωνητόν à quibusdam dicitur: non quidem, quod hæc attributa rebus aliis per se cōmunicentur, & insint: sed quod similia quodammodo effecta in iis spectentur) Vel, qua in Deo considerantur, cum respectu & relatione quadam ad Creaturas: Sunt q;

Vita, Sipientia,  
Voluntas, Potentia.

## LXVIII.

Vitam in se ipso solus Deus habet, tūm simplicissime: ita, ut in eo solo vita nihil differat ab Essentia, ac proinde ab eo separari nequeat: tūm infinite: ita ut hæc vita sit æterna & immutabilis. Vnde & Fons vitæ & solus immortalis DEUS dicitur Psa. 36.

v. 10.

v. 10. 1. Tim. 6. v. 16. quia hoc modo solius Dei propria  
est vita, solus per se & infinitam vitam vivit. Iob. 5.  
v. 16. cetera vero per ipsum vivunt & moventur Iob. 1. v.  
4. Act. 17. v. 25. 28.

LXIX.

Loca sacra, in quibus DEUS vivus & vivens ap-  
pellatur, vide Gen. 16. v. 14. & 24. v. 62. Deut. 5. v. 26. Ios.  
3. v. 10. 1. Sam. 17. v. 26. Matth. 16. v. 16. Act. 14. v. 15.  
Rom. 9. v. 26. Vide etiam Deut. 32. v. 40. Ezech. 17. v.  
18. quibus locis Deus de seipso dicit, quod vivat. Hinc  
formula iuramenti: VIVIT DOMINUS: qua passim in  
veteri Testamento, praesertim in libris Iudicum & R. ut  
& Regum Israelitae utuntur.

LXX.

Sapientia in Deo est absolutissima tum sui ipsius,  
tum rerum omnium conditarum cognitio, ab omni  
tum Angelica, tum humana scientia toto genere diffe-  
rens.

Est enim DEUS non tantum ipse sapiens Iob. 9. v.  
4. & 12. v. 16. Psal. 94. v. 9. Dan. 2. v. 22 sed etiam causa  
omnis sapientiae in creaturis. Dan. 2. v. 31. Ier. 10. v. 23.  
& 51. v. 17.

Estque sapiens,

1. Simplificissime; ita ut sapientia illa sit ipsa-  
met Essentia divina: & quae scit, audit & videt De-  
us, ea per essentiam suam uno purissimo & simplicif-  
simo actu totus sciat, audiat, & videat.

2. Infinite, id est, tum aeternè: ita, ut, quae scit,  
non successive & aliud ex alio deducendo, vel ratioci-  
nando, sed uno aeterno & immutabili actu sciat ac  
praesens intueatur Act. 15. v. 18. Deo omnia opera sua  
nota sunt ab aeterno: tum immensè: ita, ut sit omni-

sciens, id est, ut sciat omnia, & intra se, & extra se, id est, tum seipsum. 1. Cor. 2. v. 11. tum extra se omnia, omnes res conditas, atq; aded omnes omnium creaturarum motus, non solum corporis, sed etiam mentis & voluntatis, siue bonos siue malos, nihil ignorans, nihil discens, nihil obliuiscens, ac proinde, ut nec fallatur, nec fallat.

LXXI.

Loca sacra, Sapientiam DEI & omniscientiam affirmantia, Vide Gen. 8. v. 21. Iob. 5. v. 3. & 11. v. 11. & 14. v. 5. Psal. 7. v. 10. & 15. v. 11. & 33. v. 18. & 34. v. 16. & 69. v. 32. & 90. v. 8. & 94. v. 11. & 139. v. 2. & 147. v. 4. Prov. 15. v. 3. 11. & 16. v. 9. Es. 29. v. 15. & 30. v. 7. Ier. 10. v. 23. & 11. v. 20. & 17. v. 10. Matth. 6. v. 32. & 10. v. 26. 30. 1. Cor. 3. v. 19. & 4. v. 5. Ebr. 4. v. 13. 1. Pet. 2. v. 9.

LXXII.

Sapientiae siue scientiae attributo optimè subiicitur Veritas: quae omnis scientiae est fundamentum. Estq; ut reliqua, in Deo tum simplicissimè, tum infinite, atq; sic, tum aeternè, tum immensè.

LXXIII.

Voluntatem diximus tertium esse attributum re-  
latum: quae in Deo est

1. Simplicissimè, hoc est, voluntas Dei est ipsa essentia Dei volens, vel ipse Deus volens:
2. Infinite, ac proinde aeternè & immensè.

LXXIV.

Aeterna est voluntas Dei:

1. Sine principio & successione: à seipso vult, & à seipso movetur ad volendum Deus, nulla allegata causa superiore: ipse est prima & suprema causa & causa causarū, de quo vide Matth. 11. v. 35. & 20. v. 15. 1. Cor. 12. v. 11. Ephes.

ii. Ephes. 1. v. 11. Rom. 9. v. 18. &c. Nec etiam vult aliquid aut velle incipit, quod antea noluit: nec jam non vult, quod antea voluit: sed quicquid vult, ab aeterno, & semper vult, uno & eodem voluntatis actu.

2. Sine fine & mutatione: ac proinde una atq; eadem semper est & semper sui similis. Quapropter nulla re movetur, aut mutari & impediri potest, quò minus impleatur & fiat: de quo vide Num. 23. v. 19. 1. Sam. 15. v. 39. Psal. 33. v. 11. & 102. v. 33. & 110. v. 4. Prov. 19. v. 21. Mal. 3. v. 16. Es. 14. v. 27. & 46. v. 10. Rom. 9. v. 19. & 11. v. 29. Act. 4. v. 28. Iacob 1. v. 17. Nec etiam vult contradictoria: ita ut idem simul velit & nolit.

LXXV.

Immensa est Dei voluntas: ita ut nihil Deo simpliciter invito & coacto fiat: sed ut de omnibus sit voluntas ejus, sive ad probandum, sive ad improbandum: idq; tum de bonis, tum de malis. De bonis voluntas Dei est: ut simpliciter velit & approbet ea, quae Voluntas Beneplaciti dicitur Ephes. 1. vers. 5. De malis voluntas est, non quidem volens, id est, approbans, sed tamen fieri sponte permittens: Vel, ut per se improbet, atq; adeò nolit: sic dicitur Psal. 5. v. 5. & 45. v. 8. Os. 13. v. 9. Hab. 1. v. 13. 1. Ioh. 1. v. 4: sed fieri tamen permittat, hoc est, non impediatur, cum impedire possit, ut omnipotens. Sic Act. 14. v. 16. ex Psal. 81. v. 13. dicitur: quod passus sit Deus, hoc est, volens permiserit omnes gentes suis ipsarum viis incedere. Permissio autem illa fit certo consilio & fine: nempe propter aliud bonum, quod ex hoc malo Deus elicere constituit: cuius boni ratione hoc vel illud & velle & permittere dicitur: de quo vide Gen. 45. v. 7. 8. Prov. 16. v. 4. Act. 2. v. 23. & 4. v. 27. Rom. 3. v. 5. & 9. v. 17.

D 3

Hinc

LXXVI.

Hinc nascitur Voluntatis divinæ distinctio: ut cum in se singularissime una sit, alia tamen atq; alia nobis dicatur propter diversa rerum, quas vult, genera, diversosq; quibus eas vult, modos.

LXXVII.

Alio enim modo vult bona, scilicet simpliciter & per se: alio mala, nempe propter aliud, videlicet bonum.

|      |             |  |
|------|-------------|--|
| Illa | } dicitur { | Voluntas bona, complacens.                               |
| Hæc  |             | Voluntas permissiva, seu permissio voluntaria fine bono. |

LXXVIII.

Quædam vult simpliciter & absolute.

Exempli causa: Electos omnes servari, & neminem ipsorum perire. Matth. 24. v. 24. Ioh. 10. v. 28. 2. Tim. 2. v. 19. Proinde hæc omnia sunt, & quin fiant, impediri non possunt, iuxta illud Esa. 46. v. 10. Consilium meum stabit, & omnem voluntatem meam faciam.

Quædam vero vult conditionaliter. Ut: Omnes homines servari. Tim. 2. v. 4. scilicet si credant: quod expresse additur Ioh. 3. v. 16. Ut omnis qui credit in eum, non pereat &c. Quæ conditione non extante, culpa perditionis non est in Deo, sed in homine. Os. 13. v. 9.

LXXIX.

Hinc Voluntas alia dicitur simplex, & absoluta: alia conditionalis & relata: Quæ distinctio aliis atq; aliis terminis effertur.

|                      |   |               |                      |           |                       |  |             |                    |            |   |  |           |                     |                  |
|----------------------|---|---------------|----------------------|-----------|-----------------------|--|-------------|--------------------|------------|---|--|-----------|---------------------|------------------|
| Voluntas<br>Absoluta | <table border="0"> <tr><td>1. Scholast :</td></tr> <tr><td>2. Damasce-<br/>no. a</td></tr> <tr><td>3. Aug: b</td></tr> </table> | 1. Scholast : | 2. Damasce-<br>no. a | 3. Aug: b | } dicitur<br>voluntas | <table border="0"> <tr><td>1. Bæeplac:</td></tr> <tr><td>2. Coufe-<br/>quens</td></tr> <tr><td>3. Efficax</td></tr> </table> | 1. Bæeplac: | 2. Coufe-<br>quens | 3. Efficax | } Conditio-<br>nalis iisdẽ<br>dicitur vo-<br>luntas | <table border="0"> <tr><td>1. Signi.</td></tr> <tr><td>2. Ante-<br/>cedens.</td></tr> <tr><td>3. Inef-<br/>cax.</td></tr> </table> | 1. Signi. | 2. Ante-<br>cedens. | 3. Inef-<br>cax. |
|                      |   | 1. Scholast : |                      |           |                       |  |             |                    |            |   |  |           |                     |                  |
| 2. Damasce-<br>no. a |   |               |                      |           |                       |  |             |                    |            |   |  |           |                     |                  |
| 3. Aug: b            |   |               |                      |           |                       |  |             |                    |            |   |  |           |                     |                  |
| 1. Bæeplac:          |   |               |                      |           |                       |  |             |                    |            |   |  |           |                     |                  |
| 2. Coufe-<br>quens   |   |               |                      |           |                       |  |             |                    |            |   |  |           |                     |                  |
| 3. Efficax           |   |               |                      |           |                       |  |             |                    |            |   |  |           |                     |                  |
| 1. Signi.            |   |               |                      |           |                       |  |             |                    |            |   |  |           |                     |                  |
| 2. Ante-<br>cedens.  |   |               |                      |           |                       |  |             |                    |            |   |  |           |                     |                  |
| 3. Inef-<br>cax.     |   |               |                      |           |                       |  |             |                    |            |   |  |           |                     |                  |
|                      |   |               |                      |           | a. l. 2.              |  |             |                    |            |   |  |           |                     |                  |





LXXXIII.

*Ad Justitiam, punientem creaturarum iniquitatem, pertinent Ira & Odium.*

LXXXIV.

*Ira in Deo significat justam voluntatem ulciscenda injuria, sibi vel Ecclesia illata aut cogitata & non nisi a] αὐτῷ θεῷ πῶνάθειαι Deo tribuitur: eiusq; effectum duntaxat non affectum denotat.*

LXXXV.

*Odium quoq; nullum in Deo αὐτῷ εἶναι est: sed voluntas Dei improbens malum Ps. 45. v. 8. 1. Cor. 10. v. 5. Sap. 11. v. 5.*

LXXXVI.

*Odium hoc in Deo est simplicissimum & im-  
mensum: quia odit omnia mala & omnes malos.*

*Mala simpliciter odit: malos secundum quid: quatenus videlicet malo seu peccato sunt vitiosi: non quatenus creatura. Nam vidit Deus omnia, quae fecerat: & ecce erant valde bona. Gen. 1. v. 31. Ab eo ergo, quod per accidens accedit, ad id, quod per se est, non valet consequentia.*

*Malum odit in creaturis suis Deus, non creaturas suas simpliciter.*

LXXXVII.

*Ultimum attributum relatum est Potentia: qua Deus vi ac facultate agendi praeeditus esse significatur: & potens est*

1. *Simplicissime, id est, essentialiter: ac proinde Dei potentia non est accidens, seu qualitas in Deo, sed ipsamet essentia Dei, per quam potest & facit, quicquid potest & facit.*

2. *Infinite, id est, aeternè & immutabiliter.*

*Rom.*

Rom. 1. v. 20. immensè, ut nec augeatur, nec minuat  
potentia Dei Psal. 115. v. 3.

LXXVIII.

Est autem Potentia DEI

alia { Interna, qua intus in seipso agit Deus.  
Externa, qua extra se agit, videlicet, cre-  
ando, conservando, gubernando, redi-  
mendo &c.

Estq; du-  
plex  
Externa  
poten-  
tia, alia

Absoluta, qua multa potest, qua neq; vult,  
neq; efficit Matth. 19. v. 26.

Aug. in Enchirid. ad Laur. c. 95. ait, De-  
um multa posse, qua tamen nolit: nihil  
autem velle, quod non possit. Exemplum  
adducit l. de Natura & Gratia c. 7.  
Quia Deus Lazarum suscitavit, sine  
dubio potuit: quia autem ludam non sus-  
citavit, nunquid dicendum est, non po-  
tuit? Potuit, sed noluit. Nam si voluis-  
set, eadem etiam potestate fecisset.

Actualis, qua, quicquid ab aeterno decre-  
vit, & vult, re ipsa exequitur. Ps. 115. v. 3.

LXXIX.

Dicitur Potentia illa Dei proprie δυνάμις, nec  
confundenda est cum ἐξουσία.

XC.

Hæc enim in jure & autoritate aliquid agendi  
posita est Matth. 28. v. 18. Illa verò ex facultate & vi-  
ribus agendi propriis dignoscitur: Estq; modis omnibus  
infinita in Deo: quippe talis, qualis ipsius est Essentia:  
Vocaturq; tam ab Eheimis, quam à Christianis Omni-  
potentia &c.

E

Cum

XCI.

Cum verò Deo aliquid impossibile dicitur, bifariam id intelligendum est:

Velex parte } Rei, sive obiecti.  
                  } Dei.

XCII.

Ex parte Rei, vel Obiecti, ea Deum posse negamus, qua manifestam habent ἀντιφασιν, hoc est, contradictionem implicant.

XCIII.

Hac non posse, est potentia.

XCIV.

Ille enim maximè potens est: qui constanti & immutabili fruitur potestate, & ab eo, quod unum est, nunquam digreditur.

XCV.

Vnde rectè dicitur à quodam magni nominis Theologo: Opposita posse est infirmitatis: omninò potentis est, in optimo permanere.

XCVI.

Ex parte DEI aliquid impossibile dicitur

aut } Voluntatis } respectu.  
      } Potentiæ }

XCVII.

Voluntatis respectu, quaedam non posse dicitur, quae neq; velle potest: ut mentiri, negare seipsum, hoc est, quicquid bonitati & veritati suae adversatur velle nequit: atq; sic etiam non posse.

XCVIII.

Potentia respectu ea non posse dicitur, quae infirmi-

firmitatem & aduocatum potius, quam diuina signifi-  
cant: ut, posse mori.

X C I X.

Atq; hæc etiam de attributis: in quibus notanda  
generalis regula: Ea quæ de DEO dicuntur & prædi-  
cantur, non multa & re ipsa diuersa esse, ut in no-  
bis: sed unum, videl. simplicissimam eius essenti-  
am & naturam: propter nos autem & nostri causa sic  
distincte dici & predicari. Quia ut in Deo sunt simpli-  
cissime, intellectu nostro composito & finito capere non  
possumus: sed in nostro intellectu diuersam habent no-  
tionem: & tanquam multa & distincta ab eo concipi-  
untur. De Deo autem dicuntur & predicantur  
non accidentaliter, sed essentialiter,  
atq; inde etiam in  
Abstracto.

ERRATA, si quæ sunt, lector, pro tua benevolentia,  
corrige.



*Ad Respondentem.*

**S**umma hominis sit cura, DEUM cognoscere: nēpe  
quòd *Vnus & Trinus* fiet.

Aspice *personas*, & erit tibi *Trinus*: at *Vnus*,  
*Essentiam* si pensitas.

Hocce *Theses* doctæ nostri asseruere *Magistri*:  
quas protegendas suscipis.

Vtilis & felix conatus! *Codice* sacro  
nitere. Probè sic disputas.

Nam velut è flammis micat æs: sic enthea virtus  
è disputationibus.

Quas dum sectaris: tibi gratulor, atque patronos  
non defuturos spondeo.

Perge tuis studiis *hos* conciliare *patronos*:  
quos *Phœbus* ipse prædicat.

(Non jam, queis meritis decorarint meq; meosq;,  
finit facultas dicere.

Sat benè apud memorem mentem stant, tempore  
celebranda, sine fūco malo.) (iusto

Sic faustè caprus studiorum cursus habenas  
non audiet: donec suum,

non sine, præfixum, *venerandi Numine Ihoſæ*,  
contingat aptè terminum.

*Abraham Cremerus, Mini-*

*ster verbi divini, Sevestæ, ad*  
*D. Bartholom:*

Ad



Ad  
CHRISTOPHORUM SCHMI-  
DUM, De Deo Respon-  
dentem..

**D**um *JOVAM*, nec non quâ sit ratione colendus,  
Nosse cupis, docto præside *FÜSSELIO*,  
Et, malè quos glomerat pars adversaria, nodos  
Discutere ingenij lumine & artis ope:

Non potui tenui tibi non applaudere versu  
*CHRISTOPHORE*, ô fratris semper amande loco.  
Spondeo successus tibi, felicesq; labores:  
Annuet, iste labor cui placet, ipse *DEVS*.  
Ergò age, fidenter cathedram conscende, *JEHOVÆ*  
Auspicijs quod fit, non malè cedit opus.

*Ἐνοίας καὶ Φιλίας ἕνεκα φαε :*

Georgius Theodorus  
Gorl : Luf:



AD RESPONDENTEM  
ΠΡΟΣΦΩΝΗΣΙΣ.

**M**ultis arjdent creperi certamina Martis,  
Anna cruenta quibus castraq; sæva Deus.  
Te meliora juvant: te suscitât Enthaus ar-  
Scitaq; nosse Sophum, scitaq; nosse Dei. (dor

E 3

Hinc

Hinc modò de triplici sacra Numine scita tueri  
Doctiloquo gaudes præside FUSSELIO.  
O sanctum bellum! cuius victoria vitæ  
Huius & alterius præmia sola tenet.  
Quin vita æterna est (vox decretoria Christi)  
Cognitio Nati, cognitioque patris.  
Ergò festino pede perge hæc castra tueri,  
Sic fies, SMIDI, tempore SEMIDEUS!

Φίλ@ Φίλω εὐφημεῖ  
Fridericus Theodorus Gorli-  
cio-Lufatus S. S. Th. Stud.



*Ornatissimo Dn. Respondenti.*


**S**ic didicisse Deum, disci ceu præcipit ipse,  
Atque repugnantum dissecuisse dolos,  
Verè est nôsse Deum: prima & sapiëntia, primò  
Hunc sapere, inq; Huius post sapiuisse sacris.  
Dum sic nôsse Deum studet ista per organa, Iovæ  
Organon ipse faber Cunctipotentis erit.

Gratulab. acclamabat

*Samuel Specht*  
Glog. Sil.

**F I N I S.**








Jh 4245



X 22 MA 38

VD 17 AC





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow


Red

Magenta

White

3/Color

Black



178

ATA

OGIÆ

FICÆ,

DE DEO,

ΣΤΖΗΤΗΣΙΝ ΙΝ

um Principum

Athenæo

pro-

RESIDIO

USSELII, EC-

m. Pastoris & Su-

. Theologiæ in Illu-

professoris,

uscepit

S SCHMID.

ilef.

M. DC. XIII.

usuetis.

TÆ

rias Dörfferus.

